



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

2. Adam lamentans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

sine omni defectu, sine ullo fastidio, sine sine; natus quasi liquidissimis in mersus voluptatibus. Et tamen, aspice manus tuas ad opus languidissimas; inquire pedes tuos ad templum lentissimos, inspicere cor tuum invidiâ rabidum, irâ & vindictâ æstuans, spurcis cogitationibus verminans, socordia & impatienciâ ignavum. Siccine Deo servis pro celo, pro immortalî vitâ, pro æternâ beatitate? quin facis quod Jacob, & promissam tibi Rachelem aspicias, cum suscepti laboris rædium obrepit. Quotiescunque igitur egredere tibi est, & vel adversa premunt, vel prospera seducunt, vel labores oneri sunt, oculos celo attolle, & te ipsum sic solare: En, illa tua Rachele est, formosa nimis & decora! tota pulchra est, nec macula in eâ ulla est. En cælum, in do sum quietis & voluptatis æternæ, sustine nunc paululum non summos dolores, non maximos labores, & brevi illic eris, tantò tunc lætior & beatior, quantò nunc tristior & afflictior, tunc quies illa tibi erit jucundior, quâ nunc vita fuit o perosior. Ergo & AGE fortiter, & PATERE constanter; digna est his omnibus beata ÆTERNITAS. Sis sic, mi Christiane, te ipsum sæpius animares, si talibus oculis cælum frequentius suspiceres, hoc affectu Æternitatem quotidie cogitares, crede mihi, pauci tibi servitutis dies viderentur *præ amoris in ÆTERNITATEM hanc magnitudinem*: laborem omnem tibi facilem diceres, molestias omnes gratiam computares, adversa omnia inter lucra numerares. Vitam præsentem hoc quisque sanctius insequitur, quò attentius futuram Æternitatem expendit.

CONSIDERATIO VII.

Quomodo Christiani pingant Æternitatem.

Per tenebrosam domum pedetentim incedendum est, parietesque palpandi si humanus intellectus in æternitatem sese velit immittere, iter reperiet tenebris & caligine obseptum, nec unquam in hac vitâ penetrandum, via quidem ad eam brevis est, sed exitus interminabilis. Et quamvis nemo hominum Æternitatem sic animo conceperit, ut, quid ipsa sit, liquidò possit dicere, ejus tamen immensitatem similitudinibus & picturis, quasi quibusdam umbrarum lineis licet proponere. Umbra propterea est, & umbrarum umbra, quidquid vel scribitur, vel pingitur de Æternitate. Neque enim omnia tempora in unum coarctata, ejus latitudinem exhaurient: non horæ, non dies, non hebdomades, non menses, non anni; non lustra, non olympiades, non Indictiones, non Iubileæ, non sæcula, non anni Platonicæ, & tardissimi octavæ spheræ motus. Et si hac per quemvis numerum numerantem, millenarium aut millionem multiplicentur, aut cuiuscunque numero numerato comparentur, ut stellis cæli, arenulis Oceani, herbulis terræ, fluviorum guttulis Æternitatis tamen numerus non indagabitur.

Nemo hominam quid sit Æternitas potest dicere.

Nautæ bolidæ maris profunditatem explorant.

Imago à Christianis proposita ad expendendum profundum secretatis.

Nautæ demissâ bolidæ, maris profunditatem explorant; nos item submissâ & reverenti cogitatione, impenetrabile profundum Æternitatis tentemus, & quo id melius expendamus, hæc à Christianis proposita imago juvabit. Ea sic habet:

Christus puerulus, quasi à præsepi & cunis pænè nudus & investis, stat inter nubes, apram humeris suis fert cruculam; nubibus unicum hoc verbum inscriptum visitur, ÆTERNITAS. Infra Christi pedes in terrâ humi sedet cadaver osseum, pilis & cute nudum, solâ barbâ dignoscendum, lævâ membranam tenet, in quâ per scriptum, MOMENTANEVM QVOD DELECTAT; dextrâ pomum extollit. Juxta corvus est, rostro cochleam admordens, sua illi vox adscripta: CRAS, CRAS. E terrâ hiante flamma sese in altum emergit, in quâ voces illæ descriptæ: ÆTERNVM QVOD CRUCIAT. Christum ex æthere prodeuntem, flexis geni-

bus adorant è dispari sexu gemini homines, loco omnium hominum: pone hos flacens clepsydra, & apertus geminâ facie liber est: alterâ pagellâ scriptum: *Da-Job c. 21. cùm in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Alterâ verò: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ad Rom. 7. Juxta stant caelestes genii & cernentium oculos manu regunt, còsque ad divinum puerum erigere jubent, hæc pictura est, sensus illius iste.

I. Christus invitans.

Christus, æterni Dei æternus filius, non aliâ quàm nos esse; hoc est, nudus in hunc orbem ingressus est. Vestem immortalitatis & innocentie per inobedientiam nos amisimus. Nunc omnes heu quàm malè vestiti, in hanc lucem prodimus? Christus nobiscum, imò pro nobis luit, quod non deliquit. Sed quid, crux in humeris divinisissimi hujus puelluli? lectulus est, in quo in mortem obdormivit, pro cubiculo Golgotha, pro cervicali spinâ, pro toro crux fuit. Multi è sanctis hoc exemplo ducti, ultrò per annos aliquot voluerunt incommode cubare, & malè parcissimèque dormire, modò lætè ad diem æternum surgerent. Certè D. Bononius abbas, pro culcitrà plumèa terram, pro lodice cilicium, pro cervicali saxum habuit. S. Lupus Episcopus, viginti annis, S. Edmundus Archiepiscopus triginta annis, extra omnem lectum dormierunt. Terebo Nicolaos, Basilios Udalricos, aliòsque quàm plurimos, quibus operæ pretium visum non est, talibus deliciis somnum paucorum annorum fovere. Alia illis quies & longior in mente fuit: ideo nec ad fatietatem, nec ad delectationem, extra cælum quiescere placuit. Quot feminis etiam idem animus fuit: S. Clara pro pulvillo ligneum trunculum capiti subiecit. S. Heldwigis culcitram stramentitiam non nisi pro deliciis admisit. S. Birgitta ab obitu mariti, triginta annis & cilicium assidue gestavit, & nunquam nisi humi dormivit. Omitto alias.

Lectulus Christi, Crux, cubiculum, Golgotha, cervicalis, spina.

Et quid veteres narramus? quot hodièque viri religiosi, semese stramini libenter & suaviter indormiunt, nec plumas petunt cùm beatam Æternitatem sperent, quàm quoridie cogitant. Sed ad Christum redeamus, Christum mortem is appetiit, eamque & acerbissimam & ignominiosissimam, sed ut mortem æternam à nobis arceret. Omnes quidem morimur, sed mors hæc brevissima est. Ictu oculi, momento à corpore divellitur anima, & totum hoc factum est, quod MORI vocamus. Non ita res agitur apud Inferos. Tormenta illa omnes mortis angores & dolores longissimè superant, non tantùm quia multò graviora, sed quia incomparabiliter diuturniora, cùm sint æterna, itaque illic ista pati, est *continue mori*. Et ab hac perpetuâ morte liberavit nos puer ille, qui in nubibus pictus progreditur. Sub pedibus divini hujus pueruli exsuum cadaver sedet, quod primi omnium parentis esse, pluribus indicis sciri potest. Audite nunc posteri, & seri nepotes Adami, parentem vestrum vos sic affantem?

Christus ut mortem æternam à nobis arceret, mortem appetiit ignominiosissimam.

II. Adam lamentans.

Filii, felices futuri, si parens vester scivisset felicitate uti: nunc verò miseri hoc ipso, quod mei filii, ego vos necavi prius quàm genui, propter me antè damnati estis, quàm nati; Deus esse volui, vix homo mansi: omnes in me petiistis, antequam perire possentis: ita nescio, patrem me appelleris an parricidam & tyrannum; vitiosos vos esse quid miror, aut conqueror? à me tales esse didicistis: inobedientes vos esse doleo, sed tamen esse docui, ipse Deo inobediens: intemperantes & gulosos vos averfantur superi; ah, paternum hoc est vitium: superbia vestra exosos vos Deo facit; ego primus vestrum, ab hoc monstro triumphatus cecidi, factaque est superbia à me victo superior: hoc à me

